

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1749)
Heft: 14

Artikel: Samuelis Battierii, [...] oratio de litterarum Graecarum post inductam plurium saeculorum horrendam barbariem, in Occidentalibus Europae partibus interitu, & quomodo ex singulari Dei beneficio tandem illae insigniter refluoruerint
Autor: Battier, Samuel
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394644>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



SAMUELIS BATTIERII,

Medic. Doct.

ORATIO

de Litterarum Græcarum post inductam
plurium Sæculorum horrendam Barba-
riem, in Occidentalibus Europæ Partibus
interitu, & quomodo ex singulari Dei
Beneficio tandem illæ insigniter
refloruerint.

D. XII. Febr. 1706.

cum auspiciis Professionis Linguae Græcæ
in Acad. Basil. caperet, habita.

PRudenter admodum Cous ille Senex magnus
noster Hippocrates in Lege statuit, eum qui
Medicinæ scientiam sibi comparare velit,
horum inprimis compotem fieri oportere,
Φύσιος, διδασκαλίας, τόπου ευφυέος, παιδομαθίας,
φιλοπονίας, χρόνου. *Naturæ, doctrinæ, loci ad
studia apti, institutionis à pæro, laborum amoris, at-
que tandem temporis.* Quod Hippocrates de Medi-
Tom. IV. M cinæ

cinæ disciplina tantum affirmavit, id ego in universum de omnis liberalis doctrinæ studio verissimum esse pronunciare non dubito. Ad cujusque veræ Eruditionis laudem consequendam profecto ista necesse est ut conjungantur omnia: Natura atque ingenium, docentium præcepta & institutio, locus studiis probe accommodatus, ut à teneris disciplinæ quis tradatur, industria & diligentia, atque tandem omnia maturans atque perficiens tempus. Horum vel uno deficiente spes jucundæ studiorum messis frustra erit concepta: ea vero si rite conjungantur, lætam quis optimarum frugum segetem suo tempore largiter demetere poterit. Adeo quippe non solum Medicinæ, ut Hippocrates loco citato dixit, sed omnis liberalis disciplinæ studium simile est considerationi eorum quæ e terra nascuntur; Natura enim nostra, ut cum Hippocrate loquar, veluti ager est: dogmata docentium veluti semina sunt: disciplinæ committi a puero convenit cum eo, quando veris tempore ipsa semina in terram cadunt: locus in quo studium fit, est quale ex ambiente aëre contingens e terra nascentibus nutrimentum: studium ipsum est terræ cultura: tempus autem ista corroborabit omnia, ut perfecte enutriantur. O nostram Juventutem vere fortunatam, cui ad felicia multijugæ Eruditionis incrementa indipiscenda deesse potest nihil, nisi hac in parte sibi deesse velit ipsa, non adhibita nimirum in studiis industria decentique laborum patientia, sine qua irrito prorsus atque vano conatu cætera fiunt omnia. Ingenia nostræ Juventuti contingunt ut plurimum ubera satis & excellentia, quæ tanquam agri fertiles multo cum scœnore, quod acceperunt, red-
dere

dere abundanter possunt. His nobilissimis ingeniorum arvis multi sunt in Alma hac nostra Academia divitibus omnigenæ Eruditionis atque Doctrinæ thesauris instructissimi Viri, quibus diligens cura est, ut in ipso ætatis vere optima Virtutum atque excellentissimarum artium & scientiarum semina largiter committantur. Utque hæc semina bene germinare, feliciterque in uberrimas sobolescere fruges valeant quis locus esse possit, qui nostra Civitate consecrata Musis pectora amabilius complectatur, non aliter quam benignum cœlum fecundos agros blandi aeris temperatione fovere atque tempestivis imbribus irrigare soleat? Summis itaque laudibus atque præconiis merito celebrandi, inclytus Reip. nostræ Magistratus, atque Amplissimi Academiae nostræ Proceres, qui omnem sedulo impendunt operam, ut in hac nostra Academia, vera Eruditionis officina, Virtutum, omnisque humanæ perfectionis seminario, florentissima Juventutis ingenia diligenter excolantur, atque optimarum rerum cognitione mature imbuantur. Hinc & ego non ita pridem a modo laudato Magnifico & Ampliss. cum Reip. tum Academiae Senatu concordibus suffragiis rite designatus sum & constitutus, ut divitem illum solidæ Eruditionis fontem Græcam Linguam ut Ordinarius Professor in hac nostra Academia publice docerem, atque humanitatis studiosam Juventutem ad ejus intelligentiam perducere laborarem. Hoc proin ego munere a Superioribus mihi demandato in posterum, Deo clementer fortunante, pro viribus strenue functurus, labores meos, ut receptus postulat mos, auspicabor, atque apud vos, qui auspiciis istis solenniter interesse voluistis A. O.

O. H. breviter nunc commemorabo, *quomodo Literæ Græcæ inducta plurium seculorum horrenda barbarie, in Occidentalibus Europæ nostræ partibus, funditus perierint, ex singulari autem Dei O. M. providentia & bonitate tandem insigniter refluoruerint*: hoc vero dum facio Vos A. O. O. H. eam mihi, qua alias usus sum, benevolentiam humanissime præstare, atque propitiis animis auribusque ea quæ dicturus sum percipite; quod vos etiam atque etiam rogo quæsoque.

Græcos ab antiquissimis temporibus Sapientiæ atque ingenuarum artium & disciplinarum studio cultissimam gentem fuisse, nulli potest esse dubium, qui Homerum, cujus laudes nunquam satis prædicari posse constans Sapientum est iudicium, circa Salomonis Regum Sapientissimi tempora floruisse novit. Unde factum etiam ut sequentibus temporibus omnium scientiarum artiumque liberalium natales in ipsa Græcia exstitisse visi fuerint. Postquam nimirum omnis splendor aliarum cultiorum gentium Græcis magis antiquarum, & a quibus Græci sua acceperunt, esset vel superfusa per fatalem quandam rerum vicissitudinem barbarie extinctus, vel in ipsos Græcos, post destructam Persarum Monarchiam, absorptus. Post Græcos primi in Europa mores suos politioribus vitæ institutis excolere cœperunt Romani. Hi ut Remp. suam quam optime constituerent ex ipsa Græcia Leges petiverunt, ut de duodecim Tabulis vulgo notum. Hinc crescente magis magisque Romanorum imperio, crevit apud ipsos etiam literarum & Sapientiæ studium, illudque simul in cæteras sibi subjectas terras ab ipsis est propagatum.

tum. Eos vero omnem suam in ingenuis artibus peritiam a Græcis hausisse Magistris ipsimet nobis Romani testantur ; Quæcunque in antiquis Romanorum scriptis mirari solemus , ea omnia à Græcis sequaci imitatione expressa unice , nec omnino , ipsis Latinis fatentibus , excellentiam Græcorum affecuta videntur. Ipse quem ab omnibus vobis plurimi fieri neutiquam est dubitandum , M. T. Cicero in ipso vestibulo suorum de Officiis librorum ad suam utilitatem se semper cum Græcis Latina conjunxisse , neque id in Philosophia solum , sed etiam in dicendi exercitatione fecisse , testatur , atque ut in utriusque facultate Marcus filius par esse possit , idem ipsi faciendum censet. Ut istam itaque Literarum Græcarum cognitionem sibi compararet Romana juvenus frequenter in Græciam proficiscebatur , sic Ovidius lib. I. Trist. Eleg. 2. se quondam ut Studiosum Athenas petiisse scribit. Plurimi etiam Græci Doctores Romæ semper alibique Græcas Disciplinas profitebantur. In ipsa Narbonensi Gallia Urbs Massilia, Phocensium Græcorum quondam colonia, diu Musarum domicilium & sedes fuit , ita quidem ut Nobilissimi Romanorum illuc potius quandoque , quam in ipsam Græciam , studiorum causa concederent. Tacitus Annalium lib. IV. c. 44. memorat , quod Augustus Lucium Antonium multa claritudine generis admodum adolescentulum Sororis nepotem seposuerit in Civitatem Massiliensem , ut specie studiorum nomen exilii tegeretur. Idem Tacitus de Julio Agricola Socero suo narrat in ipsius Vita c. 4. quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit.

Imo per totam fere Galliam late Literarum Græcarum studium ex Massilia diffundebatur. Percipite quid celebris ille Geographus Strabo de Massilia libro IV. suæ Geographiæ memoret : locum quia prolixior est Latine redditum recitabo : *Quicunque sunt politiores ibi homines , ii se ad dicendum & philosophandum conferunt : Itaque Urbs ea paulo ante loco ludi literarii patefacto , tantum Græcarum Literarum studium apud Gallos excitavit , ut contractuum quoque formulas Græce conscriberent. Et hodie nobilissimis etiam Romanorum persuasit , ut discendi studio pro Atheniensi peregrinatione Massiliensem amplecterentur : quos cum vident Galli , quia in pace vivitur , ipsi quoque lubentes ocium huic vitæ instituto impendunt , non privatim modo , sed & publice , nam & privatim & publice a Civitatibus , ut Medici ita etiam Sophistæ conducuntur. Hactenus Strabo. Hinc ergo , cum Literarum studium per Galliam ita esset propagatum , Beatus Hieronymus in Epistola quadam ad Rusticum , Galliam studiis florentissimam appellat. Augustoduni etiam apud Aeduos nobilissimam Gallorum sobolem liberalibus studiis operatam tempore Tiberii Cæsaris memorat Tacitus Annal. libr. III. cap. 43. Et Eumenius nobilis Rhetor ac apud Constantium Imperatorem sacrae memoriæ Magister , ut neglecta Augustoduni per injuriam temporum studia ad pristinam gloriam reformaret , Artis Oratoriæ Professor erat constitutus , ut ex ipsius Eumenii Oratione pro restaurandis scholis coram Præside Galliarum habita patet. Talis vero tantusque Vir erat Eumenius , ut & ejus Auditorium Jurisprudentiæ Auditorium esset , & ex eo tanquam ex equo Trojano (quod de Iſocratis ludo dixit olim Cicero) plures præclari Viri*

ri ad Remp. gubernandam prodirent, ut potest videri ex fine Panegyrici quem Constantino Augusto dixit. Græcas vero Musas Augustoduni Latinis junctas fuisse ex superius citata ipsius Eumenii pro restaurandis Scholis Oratione colligitur, in ea enim Avum suum hominem Athenis ortum quondam ibi docuisse testatur. Alias autem plures frequentes & bene cultas Scholas diu habuisse Galliam, testis est Magni Ausonii libellus de Professoribus Burdegalensibus, Tholosanis & Narbonensibus, ibi inter alia de Tiberii Victoris Minervii Cathedra Burdegalensi legitur istud:

Mille foro dedit hæc Juvenes: bis mille Senatus

Adjecit numero, purpureisque togis:

Me quoque. - - -

Literas vero Græcas strenue excultas Burdigalæ fuisse, ipse nobis documentum esse possit Ausonius, ex ipsius enim scriptis cuilibet liquere potest, eum Græcarum Literarum scientia apprime ornatum fuisse: Et in supra citato Ausonii libello Carmen est Grammaticis Græcis Burdigalensibus inscriptum. Ipse Ausonii Discipulus Imperator Gratianus primis sui Imperii annis ad Antonium Prætorem Galliarum scripsit, ut in singulis Galliæ metropolibus egregii Professores erudiendæ juventuti præficerentur. l. per omnem C. Th. de professoribus. In reliquis quoque Romani Imperii Provinciis Occidentalibus similiter bonarum Literarum & imprimis Græcarum studium vigeat, quod ostendere cum ad alia festinandum sit supersedeo.

Ast omnes bonæ Literæ post finitum a nato Christo seculum quartum dici non potest quan-

tum detrimentum per totum Romani Imperii Occidentem acceperint ab immanissimarum gentium Germanicarum Sarmaticarumque irruptionibus, quibus ab illo tempore Romanas Occidentis provincias inundarunt. Nec tamen inter decumanos illos extremæ barbariei fluctus bonæ Literæ prorsus in Occidente perierunt; Reliquiæ enim Romanorum eas diligenter, quantum inter turbas illas fieri poterat, excoluerunt, ita quidem, ut subinde adhuc varii eruditione præstantes Viri effloruerint. Imo etiam brevi tempore barbaras eas gentes ad Sacra Christianorum amplectenda permoverunt. Inter illas vero feroces gentes quamvis salutiferam fidem amplexæ fuerint, plus armorum, quam liberalis doctrinæ studium vigeat. Unde accidit ut magis magisque honestæ artes bonæque Literæ, imprimis Græcæ, tenebris involverentur atque negligi inciperent. Cum tamen postea res Francorum per Galliam atque Germaniam multum florerent, hinc inde scholæ vel collapsæ instaurabantur, vel novæ constituebantur. De Carolo Magno, qui Francorum regno per Germanias Galliasque longe lateque propagato Regnum Longobardorum in Italia adjecit, atque Romanorum Imperator factus est, ex Annalibus constat, eum, magno cum sui seculi hominum totiusque posteritatis emolumento, varias Scholas publicas, omnis Eruditionis, pietatis & doctrinæ officinas aperuisse, atque annonam & stipendia e fisco Professoribus dedisse. Ex iis vero Scholis Græcas Litteras neutiquam exulasse Crantzius Nobilis Historicus nos docet, qui diserte testatur Carolum Magnum Osnabrugi in Westphaliæ Urbe

be Scholas instituisse & fundasse, in quibus Græci & Latini Auctores explicarentur.

Optima vero hujusmodi instituta in Occidente nostro non diu permanserunt, sed magis magisque

- - - omnia fatis
In peius ruere ac retro sublapsa referri.

quando per continuos bellorum tumultus pii Imperatores alique Viri Principes vix poterant de ingenuis disciplinis & artibus promovendis cogitare. Et quod omnium erat pessimum, pleraque illa bella, quibus Europæ Occidens conflictabatur, ab Episcopis Romanis, qui tamen Ecclesiæ universalis Pastores & Antistites credi volebant, vel concitata vel saltem fota fuerunt. Qua quidem improbitate id obtinuerunt Romani Pontifices, ut Imperatorum auctoritas quotidie magis concideret, eorumque potentia diminueretur. Cum e contra Paparum tyrannis majora semper caperet incrementa. Ab eo siquidem tempore, quo Romani Episcopi Constantinopolitanorum Imperatorum dominationem, cui, postquam Occidentis Imperatores in Augustulo desierunt, Urbs Roma cum parte Italiæ subjecta erat, perfidiose excusserunt, atque se Francorum Regibus, per quos etiam sibi Longobardos à cervicibus amoliebantur, applicuerunt, fastus eorum, & enormis arrogancia ita crevit, ut se tandem supra Reges omnes & Imperatores extollerent. Quam diris modis plures laudatissimos Imperatores Romani Pontifices nefarie exagitarint, horret animus meminisse, luctuque refugit.

Inde omnes bonæ disciplinæ funditus perierē : Scholæ negligebantur : Religio profanabatur : sicque atra densissimarum ignorantiae tenebrarum nox toti Occidenti incubuit ; cum interim plures crassorum Monachorum catervæ ubique diffunderentur : hæc ἐρώσια ἄχθῃ ἀρούρης id operæ strenue nāvabant , ut suis mundum ineptissimis somniis atque fabulis probe imbuerent. Hac universali per totum Occidentem diffusa ignorantia factum est , ut Monarchia Papalis firmissime stabiliretur. Ex ista Romanorum Paparum ambitione pleraque Christianis mala provenisse ipse profecto Machiavellus Historicus Florentinus in scriptis suis docere neutiquam verebatur. Ab eo autem tempore quo Urbs Roma atque Exarchatus Ravennæ Græcorum dominio per Paparum machinas erat subtractus , maxima inter Græcos atque Latinos gliscebant odia , inde unice profecta , quod Romani Episcopi Primatum in Orbe Christiano affectarent , Græci vero eis concedere nollent ; quæ inter eos odia ad ipsum Græci Imperii interitum durarunt.

In Græcia tamen , inprimis in Urbe Constantinopoli , sede Imperii , artes liberales atque Literarum studia usque semper satis floruerunt , quamvis res Græcorum à non paucis pessimis Imperatoribus multum quotidie debilitarentur. Hoc vero Græcorum Imperium à variis quoque barbaris gentibus multis modis afflictum , & intestinis dissensionibus sæpe dilaceratum , imo ab ipsis Latinis non parum attenuatum , tandem à Turcis ad incitas omnino est redactum. Et tandem Græci ab Occidentis Principibus , quorum auxilia contra Turcas sæpius frustra flebiliter implorarunt , foedere

derelicti, ipsa Byzantii everfione, quæ anno 1453. per Mahumedem II. Turcarum Tyrannum facta est, funditus perierunt, atque sub immanium Turcarum barbariem, fervitutemque redacti sunt.

Hic vero miremur fingularem omnipotentis Dei nostri providentiam atque bonitatem ineffabilem: Cum per totum Occidentem omnes ingenuæ artes effent prostratæ, bonæ Literæ neglectæ, Religio oppreffa: fuperfinitio autem & barbaries ubique graffarentur: cum totus fere Oriens a Barbaris & Mahometanis effet occupatus: cum in ipfa Græcia plures quotidie Urbes & Provinciæ a Turcis everterentur vaftarenturque, varii fingulari Eruditione celebres Viri Græciæ ruinam fugientes in Italiam venerunt, atque Literarum ftudium ibi redintegrarunt. Horum princeps erat, *Emanuel Chryfoloras* Byzantius, Vir cum generis nobilitate, tum virtute atque eruditione infignis, de quo vide Platinam in Vita Bonifacii IX. & Theodorum Zygomalam in Epiftola de Conftantinopolis periculis & cladibus. Hic Chryfoloras à Paulo Jovio in Elogiis Doctorem Virorum n. 23. memoratur a Johanne Andronici Filio Conftantinopolitano Imperatore emiffus fuiſſe, ut totius Europæ Reges adeundo pereunti Græciæ maturam opem imploraret: quod quidem officium poſtquam is laborioſa peregrinatione impleviſſet, in Italia ſubſtitit, atque Venetiis primo, dein Florentiæ & Romæ, ac demum Ticini, evocante eum ingentibus præmiis Johanne Galeatio Mediolani Principe, Græcam Linguam profeſſus eſt, Græcasque Literas primus in Italia reſuſcitavit; & ut ſtudium harum Literarum magis juvaret atque promoveret

Ero-

Erotemata sua conscripfit, quibus Græcæ Linguae Principia facili & eleganti methodo comprehendit. Postremo cum indicta Constantiæ ad tollendam trium qui simul erant Pontificum controversiam Synodus esset, Chrysolotas etiam eo profectus est, & ut Caspar Bruschius tractatu de Monasteriis narrat, ibi mortuus in Cœnobio Ordinis Prædicatorum sepultus est. Johannes deinde Palæologus Emmanuelis filius Byzantii Imperator, cum ad auxilia contra Turcas impetranda in Italiam venisset, & in eum finem in Concilio Florentino, quod Papa Eugenius ad dissolvendum Concilium Basiliense A. 1439. convocarat, unionem Græcorum cum Latinis conficere tentaret, secum duxit doctissimos quosdam Viros, quorum Georgius Trapezuntius, Bessarion Nicææ Episcopus & Gemistus Pletho postea in Italia manserunt, sine dubio videntes auxilia contra Turcas ab Occidente frustra sperari, sicque Græciam brevi, ut etiam evenit, corrui turam. Horum Gemistus Pletho Constantinopolitanus celebris erat Philosophus, & Florentiæ ab Illustri Viro Cosmo de Medicis inprimis magni habitus, ita quidem ut Cosmus ipsum philosophantem frequenter quasi Platonem alterum audiret, atque ab eo sic esset animatus, ut Academiam constituere animo voveret, quemadmodum Marsilius Ficinus ad Laurentium Medicem Cosmi Nepotem scribit. Varia vero hic Pletho egregia reliquit scripta, de quibus brevitatibus studiosus nihil proferam.

Georgius vero Trapezuntius e Creta, Patre Trapezuntino duxit originem: natus est A. 1396. obiit autem A. 1486. atque in Italia, ut supra dictum,

dictum, subsistens postea a Nicolao V. Papa factus est Pontificius Scriba. Iste Vir egregie doctus, Aristotelis Sectator acerrimus, Literas Latinas Græcis ita sociavit, ut iudicio Erasmi in Ciceroniano ad Ciceronis dictionem effingendam studio se composuisse visus sit. Multa e Græcis in Latinum Sermone transtulit, & inter alia Cyrilli Commentaria in Evangelium Johannis, & de Trinitate libros, Eusebium de Præparatione Evangelica, Chrysostomi homilias in Matthæum, Gregorii Nysseni Opera: nec pauca ipse Trapezuntius Latine composuit.

Bessarion tandem patria erat Trapezuntius Episcopus Nicænus, postea ab Eugenio IV. Cardinalis factus A. 1473. ætatis 77. obiit. Hic Bessarion Platonice Philosophiæ unice addictus erat, pro qua contra Trapezuntium IV. libros edidit. Bessarionis Laonicus Chalcondylas libro VI. de rebus Turcicis gloriose meminit, locum ipsum adducere tempus nequitiam patitur. Iste vero Bessarion supra omnes alios de Literis Græcis singulariter est meritus: a teneris fere puerilique ætate omnem suum laborem, omnem operam adhibuit, ut quoscunque posset libros in omni disciplinarum genere compararet: propter quod plurimos manu sua descripsisse dicitur. Præcipue vero post Byzantii expugnationem in perquirendis libris Græcis omnes suas vires, omnem curam, facultatem, industriamque consumpsit: sicque cuncta fere sapientum Græcorum Opera, præsertim quæ rariora erant, & inventu difficilia, congeffit. Hic tantus Thesaurus ne ipso defuncto dissipari alienarique posset, vivus adhuc Bessarion providit, ut

in loco aliquo tuto collocaretur, atque ad communem hominum utilitatem servaretur. Omnes siquidem suos libros Aedi D. Marci in Urbe Venetiarum dono dedit atque dicavit: ut ex epistola ipsius Bessarionis de Bibliotheca sua cognosci potest. Ex isto postea a Bessarione collecto excellenti Thesauro bonam Græcorum partem Aldi Manutii & Andreæ Asulani celebris industria cum publico communicavit. Ille Bessarion quoque vetustissimum Bononiense Gymnasium, negligentia & seditionum turbis pene intermissum & collapsum, non modo ædificiis, verum etiam institutis & melioribus salariis instaurasse ac restituisse, adolescentesque ad studia literarum, proposita præmiorum atque honorum spe, incitasse dicitur, ut exstat apud Middendorpium de Academiis lib. IV. Bessarion quoque varia cum ipse composuit, tum ex Græco in Latinum transtulit, quorum præcipua sunt Aristotelis Metaphysicorum libri, & Xenophontis de dictis & factis Socratis.

Circa hæc memoratorum Virorum tempora etiam in Italia floruit Vir bonarum literarum doctrina longe præstantissimus Theodorus Gaza Thessalonicensis: Hic cum Amurathes Turcarum Tyrannus expugnata Thessalonica Græciam longe lateque vastaret, in Italiam venit, ibique Græcas Literas feliciter propagavit: in quem finem Operis sui Grammatici libros IV, in Officina dein Valentini Curionis hic Basileæ A. 1529. impressos, Græce conscripsit, quibus simile quicquam eo in genere non legisse se dictabat Budæus, ut testatur Vossius l. I. Aristar. c. 4. Præter alia etiam Scripta quæ ipsemet composuit Gaza Ciceronis de Senectute

Stute & Somnio Scipionis Græce libellos vertit ; Latine vero Aristotelis de historia , partibus & generatione animalium libros : Theophrasti item libros de plantis , & alia plura. Erasmus in Ciceroniano non alium eo feliciorum, sive vertat Græca Latine, sive Latina Græce, fuisse judicabat. Iste tamen excellenti literarum scientia conspicuus Vir Gaza cum tanta dicitur conflictasse paupertate, ut tantum non ipsi fame esset pereundum. Cum is aliquando nobilissimas quasdam lucubrationes suas Xisto IV. Pontifici Romano obtulisset, sperans scilicet Principis ejus beneficentia quæsitum per tot labores vitæ subsidium non deparcum se consecuturum esse, nec tamen plures quam aureos 50. quasi magnum aliquid ab eo, a quo se totum inauratum iri speraverat, retulisset, studiis indignatus suis, quod tam parca sibi laborum & vigiliarum suarum merces esset tributa, nummos eos in Tyberim abjecit, & brevi post hujus indignitate rei exulceratus, insolabili contabuit ægitudine, & A. 1478. ex mœrore obiit, ut narrat Pierius Valerianus l. II. de infelicitate literatorum. Ab istis vero jam memoratis Græcis Doctoribus mirum in modum omnis Italia pluribus omni genere Eruditionis præstantissimis replebatur Viris, qui longe lateque bonas Litêras propagarunt.

Et quod mirum videri possit, ipsæ Latinæ Litæ per istos Græcos instauratæ tum maxime illustres factæ sunt, ita ut omnino exin appareat, Latinas Musas sine Græcis insignes esse minima posse, verum iis destitutas prorsus sordescere, atque squalore confectas procumbere.

Inter Clarissimos autem, qui tum ab illis ex Græcia egressis Viris prodire sunt Laurentius Val-
la, Leonardus Aretinus, Petrus Paulus Vergerius
major, Franciscus Philelfus, Guarinus, Poggius
Florentinus, Victorinus, Domitius Calderinus,
& alii plures, de quibus omnibus quantum bonas
Literas promoverint, ut uberius aliquid dicam
tempus neutiquam concedit.

Vixit vero etiam illis temporibus Florentiæ Vic-
jam supra laudatus, & de Literis singulariter me-
ritus Cosmus de Medicis: Hic ex media Græcia,
aliisque provinciis doctos Viros magnis præmiis
evocavit, qui studia Literarum a magna illa &
quæ omnes artes liberales turpissime inquinaverat
superiorum temporum barbarie vindicarent. Se-
cuta dein est brevi post lamentabilis Constantino-
politane Urbis per Turcas expugnatio, atque mi-
serimus Imperii Byzantini interitus, cum totius
Græciæ excidio conjunctus. Hæc nobilissima
Musarum Patria, hæc omnis doctrinæ sedes, om-
nium Literarum fidelissima custos atque altrix, hoc
innumerabilium omnibus eruditionis & sapientiæ
laudibus celebratorum Virorum domicilium, Græ-
cia, a Scythica barbarie jam est occupata. Ex mi-
serabili autem isto totius Græciæ naufragio multi
Doctissimi Viri in Italiam feliciter evaserunt, ibi-
que portum Deo singulariter id providente tutissi-
mum invenerunt. Inter eos qui Doctos e Græ-
ciæ ruina elapsos foverunt, iisque asylum aperue-
runt, præcipue memoratur Nicolaus V. Papa,
qui cum Literas earumque Professores mirifice di-
ligeret atque benigne honestaret, ex omnibus locis
literarum scientia & eloquendi elegantia perpoliti
Viri

Viri ad eum tanquam ad præsidium confugerunt, quorum opera & studio multi Auctores antiqui e tenebris eruti sunt & illustrati. Hic Nicolaus Græcos exules omnibus modis juvit, ut Auctor est Platina in ejus Vita. Et Philelfus lib. XIII. epistola ad Calixtum III. Papam testatur, Nicolaum istum post Byzantium captum magnis sumptibus ex Græcia per mercatores conquissivisse libros Græcos. Singulariter quoque Eruditos Græcos, qui patriæ suæ cladem effugerunt, omni præsidiorum atque beneficiorum genere peramanter amplexus est, atque hoc modo rem Literariam mirum in modum promovit supra jam non semel a nobis celebratus Cosmus de Medices, quem brevi post egregie imitatus est ejus Nepos Laurentius de Medices. Hi a Græcis potissimum exulibus inflammati nobilissimam Florentiæ Academiam adornarunt, doctissimos quosque omnibus modis ad se allicere tentarunt, eosque præmiis & honoribus affecerunt: optimarum Artium studiosos omnibus rebus sublevarunt ac nutriti sunt. Insignem imprimis Bibliothecam omni studio atque diligentia erexerunt, & grandi proposita pecunia omnem operam dederunt, ut boni Auctores inter cadavera Urbium jacentes e Turcarum manibus vindicarentur, unde factum ut undique multi & reconditi Veterum libri ad eos portarentur. In comparanda vero atque instruenda hac incomparabili Bibliotheca Florentina præcipue erat adhibitus Janus Lascaris, homo Græcus atque insigniter doctus magnæque nobilitatis Vir, regis fere muneribus ad id conductus. Hunc ergo Janum Lascarium bis a Laurentio de Medices Byzantium ad Balazetem, ut ejus permisso libros Græcos in Italiam depor-

taret, missum fuisse Auctor est Paulus Jovius in Elogiis. Hos recensitos Illustres Literarum Fautores atque Mecœnates etiam alii dein imitati sunt summi Viri, de quibus aliquid dicere, ne meus sermo nimium producat, non sustineo. Præcipuos tamen eorum, qui post Byzantii expugnationem in Italiam venerunt, ibique & aliis postea in locis eximia eruditione instructi Græcas aliasque Literas exornarunt propagaruntque nominabo. Nominabo inquam eos tantum: præstat enim de iis, cum plura laudatissima dici possint, nihil potius quam pauca dicere; & pauca tamen ut de iis dicam tempus neutiquam permittit. Hi vero sunt Joh. Argyropylus Byzantius, Manuel Moschopulus, Georgius Phranzes, Janus Lasca-
ris, Constantinus Lasca-
ris, Demetrius Chalcondylas ejusque Filius Theophilus, Jo. Andr. Lasca-
ris Rhyndacenus, Marcus Musurus Cretensis, Michaël Marullus Trachaniota, quem tamen Franciscus Floridus in Apologia in Linguæ Lat. calumniatores Byzantium dicit, alique quibus merito jungenda est Nobilissima Fœmina, Anna, Filia Illustrissimi Viri Lucæ Notaræ, Kyrlucæ vulgo vocati, Magni quondam Ducis Constantinopolis, quem, cum duobus filiis in Urbis Constantinopolis direptione captum, & in convivio postea ante Sultanum truculentissime decollatum fuisse memorat Cuspinianus in Cæsaribus. Hæc Kyrlucæ Filia Anna ante Urbis captivitatem a Patre ad Italos emissa, postea consilio & hortatu suo fecit, ut sumptibus Nicolai Blasti Cretensis insigne Opus Etymologici Magni Venetiis A. 1494. imprimere-
tur: ut in extremo Etymologici notatum exstat.

Per hos itaque aliosque doctissimos homines effectum est, ut Literæ Græcæ per totam Italiam ita illustrarentur resuscitarenturque, ut ipsæ alteram patriam in illa reperisse viderentur. Et multi inde Itali aliique in Græcis Literis tantos fecerunt progressus, ut Græciæ ipsi novum decus afferre, ut eam tanquam anum decrepitam ἀντιπελαργῆσαι viderentur. Tales vero fuere Angelus Politianus, ejusque Discipulus Petrus Crinitus, Hermolaus Barbarus, Jo. Picus Mirandulæ Dominus, Raphaël Maffeus Volaterranus, Philippus Beroaldus, Antonius Codrus, Marcus Antonius Sabellicus, Scipio Carteromachus, Varinus Phavorinus Camers aliique, ὅσα κόνις, vel μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἀμετροί; ut cum Theocrito loquar.

Accidit autem illis temporibus brevi ante Byzantii excidium Anno nimirum 1440. ut in Germania artis Typographicæ inventum manifestaretur: res profecto admiranda: qua haud scio an ulla sit reperta unquam universo hominum generi magis salutaris; & omnino videtur Deum O. M. tum demum hanc artem hactenus reservatam producere in lucem voluisse; cum maximum esset periculum, ne Græcia misere pessundata exterminataque ingenuæ artes & bonæ literæ, omnisque humanitas prorsus ex orbe exterminarentur. Hæc itaque nobilissima ars cognita ejus excellentia brevi ita excolebatur, ut ad summam perfectionem adduceretur, atque per totam Europam diffunderetur. Hujus statim adminiculo & opera optimi quique Auctores, hactenus in tenebris projecti, situ squaloreque oblitī, blattis tineisque relictī, in lucem erant producti, atque

sic in hominum manus pervenerunt. In antiquis autem Græcorum monumentis ita producendis præ aliis plurimum operæ posuerunt Aldus Asulanusque jam supra memorati Venetiis : Bernardus & Philippus Juntæ Florentiæ : & mox istos infectus Basileæ Frobenius : dein Parisiis Adrianus Turnebus , Robertus & Henricus Stephani : Item alibi Hieronymus Commelinus , Christophorus Plantinus , aliique.

Literæ vero Græcæ , cum , ut memoratum est , ita feliciter in Italia essent evulgatæ , simulque omnis alia Eruditio ita mirifice effloruisset , brevi Alpes etiam transiverunt , aliasque Occidentis Provincias , Galliam puta , Hispaniam , Germaniam & reliquas pervaserunt. In Galliam primus Græcas Literas reduxisse dicitur Gregorius Tiphernas e Schola Emanuelis Chrysoloræ progressus : Post hunc Hieronymus Spartiata Græcas Literas Parisiis circa annum 1478. docuit. Postea Guilielmus Budæus , ab Erasmo Portentum Galliæ vocatus , aliique. Francisco I. Rege Galliæ tum etiam Literarum studia multum promovente Janus Lascaris supra laudatus ab eo ex Italia ad Literas Græcas magis illustrandas in Galliam erat evocatus , & stipendio mille ducatorum Francicorum in annos singulos ornatus ; ut memorat Franciscus Tilius in Chronico Regum Francicorum.

In Hispania Græcas aliasque literas instauravit Franciscus Ximenius , Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus , Hispaniarum Conservator Carolo V. nondum per ætatem ad imperium idoneo. Hujus Ximenii cura A. 1515. publicata sunt Biblia ,

blia, quæ Complutensia vocantur, & cum textu Hebræo Chaldaicam, Græcam & Latinam translationes junctas exhibent. Græcam Linguam imprimis docuit in Hispania Demetrius Cretensis ex Italia acerfitus, & post eum Ferdinandus Nonnius Pintianus, e quorum Scholis plures præstanti literarum scientia conspicui Viri prodire.

In Germaniam primus Græcas Literas reduxit Rodolfus Agricola, natione Frisius: Hic ætate jam paulo provectior cum aliis studiosis juvenibus fama tot clarorum Virorum allectus in Italiam est profectus, & Ferrariæ doctrina & institutione Theodori Gazæ usus tantum profecit, ut in Germaniam reversus Barbariem ibi feliciter profligare inciperet. Agricolam secutus est Joannes Reuchlinus vulgo nominatus Capnio, Pfortzheimensis. Hic Lutetiæ in Literis Græcis præceptore usus jam nominato Hermonymo, ut Crusius libr. V. Germano. Græciæ scribit, tantam earum cognitionem est affecutus, ut Jo. Argyropylus Romæ Græcus Professor, cum eum postea in Italiam profectum ita docte quædam ex Thucydide explicantem audiret, mirabundus exclamaret, Græciam exilio Græcorum Alpes transvolasse. Quanti autem istum Capnionem Erasmus fecerit Apotheosi, quam in ipsius memoriam conscripsit, abunde declaravit.

Quantum vero ipse Erasmus instaurandis & decorandis bonis Literis per Germaniam & imprimis hic Basilææ nostræ præstiterit, satis superque vobis est cognitum.

Horum profecto aliorumque eos consecutorum doctrina atque industria repente omnes liberales artes atque studia per totam Germaniam tanto perfundebantur splendore, ut vix ulla pristinorum sordium ac barbariei vestigia relinquerentur, & Germania ipsarum Musarum sedes & domicilium facta esse videretur. Sed quamvis plurima de hac re dici possent, plura dicere, ne vestra A. O. O. H. patientia abuti velle videar, supersedeo.

Preces.

